Johann David Goldhorn

De
Puerorum Innocentia

DE

PUERORUM INNOCENTIA

IN SERMONIBUS SACRIS NON SINE CAUTIONE LAUDANDA ET AD IMITANDUM PROPONENDA.

COMMENTATIO HOMILETICA

QUA AD AUDIENDAM ORATIONEM PROFESSIONIS
THEOLOGICAE ORDINARIAE HONORARIAE
ADEUNDAE CAUSA

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS VENIA
IN AUDITORIO IURIDICO

D. XIX NOVBR. MDCCCXXVIII HORA IX RECITANDAM

OBSERVANTISSIME INVITAT

IOANNES DAVIDES GOLDHORN

THEOL. D. ET PROF. ORD. HON. DES. COLLEGII LUSATORUM
HOMILETICI PRAESES ET AD AEDEM THOMANAM
ARCHIDIACONUS.

LIPSIAE
EX OFFICINA B. G. TEUBNERI.

Inter oratores sacros nostri et praeteriti temporis haud paucos eosdemque celeberrimos fuisse constat, qui aetatis puerilis innocentiam magnis laudibus extollerent, atque ad eius imitationem auditores quam gravissime adhortandos esse censerent, quid quod profiterentur, perfectam hominis christiani probitatem in eo maxime et unice cerni, ut animum habeat ita compositum, qualis in bonae indolis pueris, quam primum incunabulis exierint, reperiatur. Hinc factum est, ut nulla fere virtus reliqua fuerit, cuius non in puero bene morato exemplum homini adulto egregium demonstrarent esse propositum, atque adeo contenderent, optimum quemque Christi cultorem ingenui pueri esse debere simillimum. Qui autem hunc in modum de puerorum innocentia admiranda et imitanda locuti sint oratores sacri, ut pateat haud obscuri nominis fuisse viros, ad Reinhardum et Rosenmüllerum lectores ablegasse sufficiat. Et prior quidem ille vir summus ubi de recta hominis cum Deo coniunctione huiusque notis in vita conspicuis exposuit, disertis verbis de pueris pronunciavit: „sponte eos obedire parentibus, neque minis poenisque servorum modo esse coercendos; quicquid iussi fuerint, facere illos lubenti et hilari animo; alienos eosdem esse a tacita monitorum vituperatione officiique impositi aversa-

tione et odio; neque adeo parcere illos labori et molestiae, sed parentum praeceptis rite exsequendis, quicquid artis et virium habeant, libenter impendere; filios neque haesitare neque repugnare, ubi parentibus obsequium sit praestandum, neque aliud quidquam malle" [1]). Alter autem, Rosenmüllerus, primum praeceptor, ultimum collega aeternum mihi venerandus, peculiari sermone exposuit, quemque hominem christianum summo studio debere eo tendere, ut ad bonae indolis pueri instar modestiam colat, discendi cupidus semper reperiatur, animo integro cum aliis agat, suaque sorte, qualiscunque demum fuerit, contentus vivat [2]). Quibus quidem duumviris facillime quum illius ipsius temporis oratores alii, tum nonnulla nostri maxime aevi nomina satis splendida addi possent [3]), nisi Velleius Paterculus monuisset, *vivorum uti magnam admirationem ita difficilem censuram esse.* Talium autem virorum vestigia quis dubitet esse premenda, et quis miretur, vere etiam esse pressa atque etiamnum premi vel ab iis hominibus, quos nemo aequus arbiter satis scire negaverit,

---

1) *Reinhard* Predd. v. J. 1806, I, 108 sq. coll. eiusd. Predd. v. J. 1801, II, 426 sq.

2) *Rosenmüller* Predd. über auserlesene Stellen d. h. Schr. (Leipz. 1811.) I, 89. sqq.

3) Quis enim nescit, quotannis fere, ubi festo Michaelis et dom. 8. p. Trin. pericopae Matth. 18, 1—11. et Rom. 8, 12—17. tractandae sunt, conciones haberi de animo Christianorum ad bonorum puerorum instar componendo? Aut quem fugit, nullam paene esse orationum singulis totius anni diebus sacris habitarum collectionem, neque inter promtuaria et diaria homilitica ullum reperiri, ubi non occurrant orationes et dispositiones eiusdem argumenti: *vom kindlichen Sinne?*

quid et quomodo oratorem sacrum dicere oporteat, quo christiani doctoris provincia sibi demandata rite fungatur?

Hinc non dubito, futuros esse satis multos, qui parum verecunde et recte a me fieri credant, quod apud animum constituerim, hanc dicendi rationem in examen vocare, eamque non tam probandam et sequendam, quam ambigendam et non sine multa cautione imitandam proponere. Hos autem cogitare velim, egregios illos, qui eam amplexi sint, viros ipsos noluisse, ut in sua verba quisquam iuraret, et de me sibi persuadeant, Reinhardi, Rosenmülleri aliorumque, qui ita docuerunt atque etiamnum docent, sanctissimam mihi esse memoriam integerrimamque reverentiam, meque longissime ab ea abesse temeritate, quae in magnorum hominum laudibus carpendis aliquam sibi ipsa gloriolam parare cupiat.

Quod autem contendo, magna cum cautione de puerorum innocentia oratori sacro dicendum et a cupidiori puerilis animi commendatione abstinendum, eius sententiae causas non contemnendas tres maxime mihi habere videor. Primo nimirum neminem esse scio, qui quotidianae parentum et praeceptorum experientiae haud raro valde contrarias esse eiusmodi magnificas puerilis innocentiae laudes ignoret; deinde, quae de virtutibus in animo puerili conspicuis saepe pronunciari audimus, ipsi adeo quum virtutis tum hominis in prima aetate constituti naturae parum congruere negari vix potest; denique cum ipsis Scripturae sacrae hac de re effatis et praeceptis adcurate perpensis atque inter se compositis haud facile possunt conciliari,

quae ad commendandam puerilis innocentiae imitationem proferri solent. Monendos igitur censeo oratores sacros, caveant sibi, ne laudent, quae vere non sunt; ne imitanda dicant, in quibus imitationi nullus est locus; ne a Domino repetant, quae in eius verbis non insunt; verbo, *ne contra experientiam, naturam, scripturam* hac in re delinquant. Quae quidem quo sensu quoque iure a me sint proposita, paucis iam liceat deinceps demonstrare.

Primum ergo dixi, eximias illas laudes, quibus praestantissimos viros puerilem aetatem subinde pro concione sacra prosecutos cognovimus, *natura ipsa atque experientia communi sic iubente* in dubitationem esse vocandas. Quovis enim pignore contendere licet, inter patres, qui forte hanc scriptiunculam lecturi sint, ne unum quidem esse futurum, qui, etiamsi Gideonis (Iudic. 8, 30.) fortissimi viri πολυτεκνίᾳ gaudeat, vere et ex animo glorietur, habere se domi filium, qui nunquam sit monendus et increpandus, qui, quod iussus sit, ipse etiam velit et cupiat, cuique, quod rectum et iustum edoctus est habere, itidem etiam optimum et optabile semper videatur, ita, ut, ubi de singulari puerorum probitate sermo fuerit, de suo filiolo fabulam narrari laetus ille profiteatur. Reperiuntur omnino inter pueros, qui adsiduitate, qui obsequentia, qui modestia, qui simplicitate ceteros aequales superent, hisque virtutibus suis doceant, ita esse factum a natura hominis animum, ut in pueris etiam, quae in viris laudabilia habentur, conspici possint. Sed a parte ad totum, a posse ad esse non valere consequentiam, tralati-

tium est [4]). Quodsi tanta, quantam isti oratores praedicant, puerilis animi ad bene recteque faciendum vere esset proclivitas, quid, quaeso, opus tot et tam severis monitoribus, undique clamitantibus et obsecrantibus parentes, nolint curae parcere, labori, verbis, quid quod verberibus (Proverb. 23, 13. 14. Sir. 30, 12.), ut mature pueri recti iustique reverentia imbuantur, poenarumque metu a peccandi libidine absterreantur, donec libero honestatis et pietatis amore incendantur, neque ubi iam adoleverint, nisi nullo prorsus at tamen exiguo cum successu ad virtutis studium provocentur et adigantur. Omnium autem minime paedagogos et ludorum magistros verosimile est magnificas illas puerorum laudes pro suggestu sacro celebratas suo assensu esse adfirmaturos, quippe de quotidianis cum discipulorum petulantia, pigritia, mendacitate, pervicacia aliorumque vitiorum cohorte certaminibus sibi subeundis multum conqueri solitos [5]), semperque promtos ad repetendum illud longo usu tritum proverbium: iuventutem non habere virtutem; quum inter pueros ipsorum curae creditos

4) vid. *Niemeyer* Grundsätze der Erziehung und des Unterr. I, 189. — „Auch mir kam wohl unter vielen Kindern hier und da eins vor, in welchem sich alle Eigenschaften einer reinen Kinderseele zusammen fanden. Aber sie sind selten diese Kinder selbst bei der treuesten Erziehung und der ungetheiltesten Aeltern-sorgfalt; u. s. w."

5) vid. *Niemeyer* l. l. not. 2. — Inter oratores sacros unus tantum mihi innotuit, qui pro concione puerorum laudibus detrahendum eorumque imitationem gravissime dissuadendam censeret, in libro: *Predigten für unser Jahrzehend*, Halle 1785., cuius auctor fuit *Petersen*, concion. aul. Darmstad. Hic nimirum oratione valde prolixa, p. 1—58. super 1 Cor. 13, 11. habita, undecim puerorum vitia enarrat, quae adultioribus vitanda sint.

nullus reperiatur, qui non simillimus sit Horatiani (art. poet. v. 159.) pueri, „reddere qui voces iam scit recte, et pede certo signat humum; gestit paribus colludere, et iram colligit ac ponit temere et mutatur in horas."

In eadem autem sententia de animi puerilis honestate et castitate non ita magnis laudibus condecoranda prudentissimi artis paedagogicae magistri, qui nostro tempore sunt [6]), atque cum his simul sagacissimi naturae humanae ipsius scrutatores versari reperiuntur [7]). Recte igitur monendos censeo oratores sacros, ut in puerilis innocentiae laudibus celebrandis et imitatione commendanda sibi temperent, ne, qui forte inter auditores adsessuri sint, patres, matres, praeceptores, nutritores talia praeter naturam praedicari clam mussitent, oratoremque vel neglectae vel spretae experientiae accusent. Cuius quidem delicti vix iusta haberi poterit excusatio, quod non universe, sed de *bene moratis* omninoque *bonae indolis* pueris tantum se locutos esse dicant, quum quisque videat, tali oratione non tam pueros laudari quam bonos mores bonamque indolem, cuius tamen vera causa et origo non in ipsa puerilis aetatis natura quaerenda sit, sed potius in ea sive puerorum ipso-

---

6) Sufficiat lectores ablegare ad *Niemeyerum* l. l. not. 1, ad f. cui unum addo *Blochmannum*, paedagogum Dresdensem, qui, Pestalozii per octo annos socius, hunc iusto magnificentius de puerilis animi bonitate statuisse narrat, ipse ceterorum sententiae calculum adiiciens, p. 11 et 42 libelli nuper editi: Ueber die Grundsätze, Zwecke und Mittel meiner Erziehungsanstalt; Dresd. 1826.

7) Ex his ad unum provoco *Heinrothum*: *Lehrbuch der Anthropol.* (Leipz. 1822.) §. 69. Periode der Kindheit.

rum sive aliorum cura et diligentia, qua factum sit, ut hi quidem pueri pueriliter agere mature desierint. Rectissime quidem pueri, qui bona indole bonisque moribus ornati iudicandi sunt, pro concione laudibus ornari possunt ac debent; hoc tamen simul semper tenendum, ita eas laudes esse pronunciandas, ut puerilis aetas non ipsa pro tantarum virtutum matre et magistra venditata esse videatur.

Tantum vero abest, ut in pueris nihil prorsus laudabile reperiri contendam, ut multa in iis bona esse lubens fatear, quae ab adultioribus cum admiratione conspici, optari et expeti possint atque adeo debeant. At nihilo minus tamen in eo persisto, quod secundo loco demonstraturum me dixi, in his laudibus et commendationibus semper esse videndum, ne *contra naturam quum virtutis ipsius tum hominis in puerili aetate constituti* praedicentur.

Habent omnino multa et egregia bona pueri; gaudent illi hilaritate inexhausta, laetandi materiem ubicunque sibi paratam facile invenientes; vel in magna rei familiaris angustia nulla curarum anxietate premuntur; ex gravibus dissidiis post breve tempus in gratiam cum sodalibus redeunt, atque, ubi ob calamitates domesticas moerore fuerunt oppressi, non ita magno labore pristinam ludendi ridendique facultatem recuperant, et quae sunt huius generis alia. His accedunt praeterea in singulis singula, quae quum in hominibus provectioris aetatis conspiciuntur, pro virtutis et honestatis documentis haberi solent; hic illic occurrunt pueri adsiduitate, modestia, comitate, misericordia, patientia, continentia, liberalitate

ordinis et munditiei cura ceteris praestantes, neque ullus unquam fuit puer, in quo nihil prorsus inveniretur, quod laudem atque amorem ipsi conciliaret.

Sed unde quaeso haec utriusque generis bona in ista aetate? quid tandem est, quod in talibus pueris laudem meretur? Admirabilem naturae, vel, ut rectius dicam, Dei optimi maximi benignitatem celebrari par est, qui pro infinita sua clementia *hisce donis* istos pueros istamque aetatem condecoravit. Quis enim non videat, illarum laudum ne unam quidem consilio studioque puerorum esse comparatam, neque alio ac corporis gentisque ornamenta loco esse habendam?

Hac enim omnes lege nati sumus, ut ab incunabilis inde voluptatis imperio simus obnoxii, neque aliud quidquam cupiamus, quam id ipsum, quod volupe nobis visum fuerit. Huius autem voluptatis insitae tanta est et tam singularis haud raro diversitas, ut nemo unquam sit futurus, qui varias eius formas omnes ac singulas enarrare, vel unde quaecunque originem ducat, explicare audeat, ita, ut sciamus, qua de causa demum fiat, ut, ubi decem in eodem loco pueri, eorundem parentum filii, congregati fuerint, verissimum esse reperiatur Virgilianum illud: *trahit sua quemque voluptas.*

In hac ipsa tamen cuiusvis pueri voluptate humanae etiam mentis, ad rationem et libertatem factae, vestigia haud obscura cerni quis neget? Unde passim evenire videmus, ut nativae suae voluptatis impetu singuli pueri ad ea sponte ferantur atque adeo

abripiantur, quae summa sunt in humana vita, animoque ad divinae mentis similitudinem enitente dignissima, scientiam dico, artem, honestatem atque adeo religionem, cuius rei exemplum prae omnibus memorabile in Iesu puero ipso nobis est propositum, qui duodecim annos natus: οὐκ ᾔδειτε, ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με; dixit. Nullo tamen modo pueri, quos admirando aliquo huius generis desiderio nobilissimoque impetu actos videmus, ipsi, quid et quale sit, quod cupiant, quantoque sint Dei, hoc ipsum desiderium largiti, benignitate ornamento cordecorati, adcurate cognitum habere credendi sunt; ipsi enim, ubi studiorum rationem reddere invitantur, nihil aliud nisi ita sibi placere et iucundum esse profitentur. Insciis prorsus ipsis sua bona affluxerunt; quare *fortunatos* eos rectius praedicandos esse quam *bonos* clarissime patere censeo. Recte enim et bene fecisse is demum vere dici potest, qui quidem aliter etiam a se fieri potuisse intellexit, neque tamen, ut aliter faceret, moveri se passus est, propterea quod vidit sensitve, inhoneste se et impie hac ratione facturum, legique sibi positae obsequium debitum negaturum fuisse. Vera virtus sine consilio et libertate nulla est. Utriusque autem in sensis et factis rite adhibendae et exserendae facultatem, ne iuvenibus quidem, vel literarum studiosis, satis certam, virilium demum annorum severitati et meditationi omnes novimus esse concessam [8]. Pueros igitur, ubi bene et

---

8) v. *Niemeyer* l. l. p. 188. „Da sittliche Güte und eigentliche Tugend nur ein Product der Freiheit ist, — so kann man auf keinen Fall von Kindern sagen, dass sie positiv gut oder po-

recte factorum laudem sibi pepererunt, iure nostro censemus ita esse bonos et innocentes, uti adultiores esse nec possunt neque adeo esse velle debent. Puerilitatis aliquid, vel optimis puerorum dictis et factis adhaeret [9]), unde non mirandum, Senecam (epist. IV.) paulo durius ita iudicasse: „tenes utique memoria, quantum senseris gaudium, quum praetexta posita sumsisti virilem togam et in forum deductus es; maius exspecta, quum puerilem animum deposueris et te in viros philosophia transscripserit. Adhuc enim non pueritia in nobis, sed, quod gravius est, puerilitas remanet."

Quae si recte sunt a me disputata, sponte intelligitur, quid sit, quod non sine cautione puerilis innocentiae laudes praedicandas imitationemque inculcandam ab oratoribus sacris postulaverim. Cavendum nimirum illis est, ut ne puerorum consilio et voluntati tribuant, quod naturae minori maiorive benignitati illi debent, neque ex animi puerilis deliberatione et constantia profectum esse dicant, cuius vera causa et origo a voluptatis cuiusdam insitae impetu vel rerum externarum ratione et conditione est repetenda. Ubi autem ad imitandos pueros auditores provocare voluerint, semper cogitent, in illorum modestia, castitate, simplicitate non aliter se habere rem, atque in arborum fertilitate, agnorum innocen-

---

sitiv-böse sind; wohl aber, dass die Keime zum Guten und Bösen, wenn gleich in verschiedenen Mischungen und Verhältnissen, in ihnen liegen.

9) *Augustinus* confess. I, 12. de se ipse dicit: *tantillus puer et tantus peccator.*

tia, columbarum integritate, quae pari modo in literis sacris tanquam exempla virtutum hominibus sequenda proponuntur. Hinc excitandi videntur esse auditores, ubi ad pueros ablegantur, ut, quod hi sine suo ipsorum arbitrio et studio, *sunt et habent*, ipsi deliberato consilio et adhibita animi constantia consequi et fieri studeant; minime autem monendi, ut *sentiant et agant*, quomodo pueros sentire et agere constat. Si verum est, humani animi humanaeque vitae dignitatem in eo cerni, quod ulterius semper progredi atque ad perfectionem tendere valeat ac debeat; quomodo demum fieri possit, ut eandem omnium maxime ii tuiti esse censeantur, qui in eodem, quo pueri constituti fuerant, loco subsistere studuerint? Meliores pueris iuvenes et viros decet esse et quotidie fieri; quod quidem, ubi fuerint adsecuti, non est verendum, eosdem de tristi hilaritatis innocentiaeque puerilis iactura serioribus annis serio esse conquesturos.

Superest, ut, quod ultimo loco me facturum dixi, exponam, *propter Scripturae sacrae etiam effata* in commendanda puerilis innocentiae laude et imitatione oratoribus sacris cum cautione esse versandum. In qua tamen disputationis nostrae parte et ipsa longioribus haud opus erit ambagibus, quum in universo librorum Veteris T. volumine ne unus quidem, quod ego sciam, locus reperiatur (vix enim Sirac. 51, 13. verba huc trahere licet), qui puerilem aetatem vel animum tanquam eum laudet, in quo, quod optimum et summum in hominis natura et vita sit iudicandum, omnium maxime conspiciatur; unde non mi-

randum est, nullum etiam occurrere iisdem in libris locum, in quo ad imitandos pueros ullum aliquem natu maiorem provocatum legamus. Quid quod haud pauca in iis dicta extare constat, quae de animi humani corruptela vel in pueris iam conspicua et ab ipsis natalibus repetenda, pronunciant [10]), ita ut librorum illorum auctores ab omni puerilis innocentiae et sanctitatis laude eiusque per omnem vitam persequendae commendatione longissime abfuisse nemo possit dubitare.

Quare in solis N. T. libris subsistendum est atque videndum, num in his forte alia de puerilis animi habitu iudicandi ratio locum habeat, ea nimirum, secundum quam illius animi tuendi recuperandique studium tanquam summa hominis vere christiani laus praedicetur atque adeo commendetur. Et rem quidem omnino ita se habere, contrariamque et nobiliorem de pueritia in his libris sententiam reperiri, a Iesu Christo ipso profectam, oratores sacri, quos ego novi, ad unum omnes unanimi consensu docuerunt, monentes, disertis nullaque obscuritate pressis verbis Dominum nostrum edixisse, cuivis ad βασιλείας τῶν οὐρανῶν communionem et beatitatem adspiranti ad puerilis animi atque aetatis innocentiam et probitatem redeundum esse. Haec autem eius verba, ad quae provocant, notum est contineri classicis illis hac in re locis, quae leguntur apud Matth. 18, 1—4. et

10) vid. Gen. 8, 21. Ps. 51, 7. 58, 4. Proverb. 22, 15. et al. Notissima est Siracidis c. 30. praeceptio de severitatis in pueris castigandis necessitate.

19, 13—15. De utroque quid sentiam, paulo adcuratius iam edicere liceat.

In priori autem loco *modestiam puerilem* a Iesu laudatam et commendatam esse, interpretes tantum non omnes praeterlapsi et nostri temporis, inter quos *Paulum*, *Kuinoelium* et *Fritschium*, quorum libri in omnium sunt manibus, nominasse sufficit, uno ore adfirmant. Nonne igitur immodestiae ipse lectoribus accusandus censebor, ubi aliter mihi videri professus atque adeo docere conatus fuero, in his summi doctoris verbis nisi omnino universae at tamen certe puerilis modestiae laudem et commendationem inesse plane nullam? — Omnis nimirum res ita se habet. Discipuli de primo in futuro Messiae regno honoris loco olim obtinendo inter se rixati erant. Iesus, quo ambitiosam ipsorum stultitiam castigaret, puerulum, qui forte aderat, manu prehendit, medium inter eos sistit et dixisse narratur

Matth. 18, 3.

ἐὰν μὴ στραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, οὐ μὴ εἰςέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Ὅστις οὖν ταπεινώσῃ ἑαυτὸν ὡς τὸ παιδίον τοῦτο, οὗτός ἐστιν ὁ μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, καὶ ὃς ἐὰν δέξηται παιδίον τοιοῦτον ἓν ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται.

Marc. 9, 35.

εἴ τις θέλει πρῶτος εἶναι, ἔσται πάντων ἔσχατος καὶ πάντων διάκονος. Καὶ λαβὼν παιδίον ἔστησεν αὐτὸ ἐν τῷ μέσῳ αὐτῶν καὶ ἐγκαλισάμενος αὐτὸ λέγει· ὃς ἐὰν ἓν τοιούτων παιδίων δέξηται ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται.

Luc. 9, 46.

ἐπιλαβόμενος παιδίου, ἔστησεν αὐτὸ παρ' ἑαυτῷ καὶ εἶπεν αὐτοῖς· ὃς ἐὰν δέξηται τοῦτο παιδίον ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται. Ὁ γὰρ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων οὗτος ἔσται μέγας.

Haec autem loca parallela iuxta se hic poni propterea curavi, quo facilius in lectorum oculos incurreret, quam diverso modo domini verba a singulis scriptoribus relata sint, ita quidem, ut apud Matthaeum dixisse narretur, cuius apud ceteros nulla fiat mentio. De qua quidem discrepantia non dubito quin verissime *Noesseltus* (opusc. ad interpr. S. S. fasc. I, 9.) docuerit: „non est difficile ad cognoscendum, fundamentum conciliationis harum narrationum in Marco et Luca quaerendum esse, resque a Matthaeo traditas illorum narrationi accommodari debere. Nam etsi paene communis interpretum sententia Marcum et Lucam decernit narrationi suae de modestia Apostolis a Christo commendata inspersisse propter similitudinem sermonem Christi alium, alio prorsus tempore habitum cum Ioanne, tamen aequali iure dixerim: Matthaeum duos eosque diversos Christi sermones omissa re ea, quae alteri occasionem dederat, in unam narrationem coniunxisse. Quod quidem mihi verius videtur." Hoc autem modo quum egregius vir de Matthaei in h. l. auctoritate statuerit, vix satis constitisse sibi videtur, ubi paulo post (p. 11.) dixit: „τὸν μικρόν apud Lucam plane eundem esse ac τὸν ταπεινοῦντα ἑαυτόν, quia Christus ipse ita apud Matthaeum interpretetur, cuius auctoritatem nefas sit repudiare, atque adeo Christum discipulis iniunxisse hoc, nisi reversi fuerint, *et infantes imitati, modestia quidem et honorum periturorum despicientia*, fore ut nunquam regno coelesti potiantur." Quisque enim videt, si a Matthaei narratione paulo impeditiori discesseris, ταπεινώσεως, h. e. mo-

destiae, continentiae, patientiae in pueris conspicuae laudem et commendationem in sermone Iesu plane nullam reperiri. Verum enim vero si vel maxime ταπεινοῦν ἑαυτοὺς ὡς τὰ παιδία Dominus discipulos iusserit, equidem tamen non possum mihi persuadere, id eo sensu ab eo factum esse, ut pueros tanquam modestiae et continentiae exempla omnium imitatione dignissima a nobis voluerit considerari.

Symbolicis enim, quae dicuntur, actionibus a longo iam tempore credidi adnumerari debere, quod a Iesu factum h. l. legimus; in quibus quidem actionibus ad rei, quae symboli loco adhibetur, externam tantum conditionem, internae nulla plane ratione habita, respici solet. Harum symbolicarum actionum autem, uti in V. T. libris sat multae commemorantur [11]), ita nec in N. T. exempla omnibus nota desunt. Ad eas enim pertinere quisque videt, quae leguntur de Pilato, manus coram populo lavante Matth. 27, 24., de Iesu ipso, sputum ori et oculo hominis muti et coeci ingerente Marc. 7, 33. 8, 23., digito arenae literas inscribente Io. 8, 6., puerorum capitibus manus imponente, Matth. 19, 13. Nec alio loco habendum est pedilavium Io. 13. narratum; quid quod in ultima coena panem fractum et vinum effusum symbolorum loco ipse usurpaverit. Eodem igitur animo et modo Iesus medios inter discipulos de summo

---

11) De his conferéndus est *Staeudlinus*, neue Beiträge zur Erläuterung der bibl. Propheten. Götting. 1795. S. 125., cuius hac de re institutionem ego ipse in libro: Excurse zum Buche Jonas (Leipz. 1804.) latius persecutus sum.

loco contendentes puerulum, qui forte adstabat, constituit, ut *ad oculos* ipsis demonstraret, non μεγαλότητι sed μικρότητι potius suis esse studendum; pueri μικρότητα corpoream voluit esse signum animi μικροῦ et ταπεινώσεως ab istis expetendae. Omnino igitur modestiae inculcandae causa in παιδίον τοιοῦτο oculos convertere iussit discipulos, minime tamen ea mente et consilio, ut huius pueruli modestiam a se admirandam et imitandam esse crederent. Quodsi enim hoc Iesum voluisse statuimus, necesse est, ut in verbis ipsius a Matthaeo traditis, quo plena eius sententia reddatur, ad vocem ὡς τὸ παιδίον τοῦτο suppleamus: ταπεινοῖ ἑαυτό. Sed quis demum credat, Iesum τὸν παῖδα laudasse tanquam ταπεινοῦντα ἑαυτόν propterea, quod morem ipsi gesserit, nec, quum advocari se audivisset, in fugam se dederit? Nisi forte cum nonnullis volueris vel a καρδιογνωσίᾳ Iesu vel ab antecedente aliqua cum hoc puero familiaritate repetere, quod cognitum habuerit, hunc ipsum puerum singulari exemplo modestiae et continentiae laude ita polluisse, ut vel adultiores ad illius aemulationem recte excitari possent. At vero, qui Iesu aetate vixerunt, pueros parum credibile est alio fuisse animo, quam nostros, quos scimus et quotidie videmus inter sodales praecipuas et primas semper sibi arrogare partes, neque, ubi vel honoris vel doni debitam sibi portionem negatam esse crediderint, vel a conviciis vel adeo, si fieri possit, a verberibus abstinere, quo pateat, quam parum τὸ ταπεινοῦν ἑαυτούς ipsis volupe sit. Re vera Iesus modestiam et animi demissionem puerulo

in conspectum adducto discipulis commendare, et μεγαλοφροσύνης inter rixas proditae stultitiam ipsis exprobrare voluit; fecit autem id visibili, ut ita dicam, modo, atque adeo *agendo* praecepisse suis hoc fere credi potest: *qualis hic puer est corpore, tales vos oportet esse animo, parvos, demissos, humiles* [12]).

Alter locus, de quo iam dicendum, est apud Matth. 19, 14. ἄφετε τὰ παιδία, καὶ μὴ κωλύετε αὐτὰ ἐλθεῖν πρός με· τῶν γὰρ τοιούτων ἔστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν; quocum ad singulas fere syllabas concinunt Marc. 10, 14. Luc. 18, 16. uterque tamen memorabile additamentum habens hoc, cuius apud Matth. nullum est vestigium: ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὃς ἐὰν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ὡς παιδίον, οὐ μὴ εἰςέλθῃ εἰς αὐτήν.

Infantuli (dicuntur enim βρέφη apud Lucam, quos oportuerit nutricum manibus προςφέρεσθαι, ut pedum nondum compotes) ad Iesum afferebantur, humanitatis, miraculosae virtutis et egregiae sanctitatis laude florentissimum, ut manibus ipsorum capiti impositis bene illis precaretur atque adeo faceret; de quo more commentatores ad h. l. omnes affatim exposuerunt. Discipuli, hanc magistri sui interpellationem

---

12) Hac ratione obscuritas illa et difficultas in Iesu verbis omnino obvia *grammatices* ope facile videtur tolli posse, qua nuperrime *philosophando* et distinguendo haec ipsa Iesu verba liberare studuit — me quidem iudice non satis recte et feliciter — auctor commentationis: über die Ansichten unserer Zeit von Sünde und Heiligkeit; vid. evangelische Kirchenzeitung 1827. No. 35 p. 275.

aegre ferentes, in matres atque nutrices invehuntur easque abigunt. Quod quum conspexisset Dominus, pro sua mansuetudine dixit, quae apud Matthaeum habentur, quaeque per se ad intelligendum sunt facillima. Neque tamen vero dissimile est, vere ab eo addita fuisse, quae Marcus et Lucas referunt, quanquam iis additis sententia brevibus Matthaei verbis expressa nec clarior nec gravior redditur. Omnis autem in hoc Iesu dicto res pendet ex pronomine τοιούτων, quo quidem interpretes fere omnes consentiunt a Iesu significatos esse homines, *eodem sensu* actos *eiusdemque animi* plenos, quo ista βρέφη, παιδία agantur; unde consequens sit, innocentiam puerilem in hoc loco tanquam eam laudari, ad quam summo studio debeat adspirare, quicunque voluerit pro vero Christi cultore haberi ipsique probari. In hac autem explicatione non videre me fateor, quo iure et qua de causa pronomen illud τοιούτων ad alios homines potius (ad eos, qui sint puerorum instar animati), quam ad illos ipsos infantulos, quorum capitibus quum maxime optimi servatoris manus impositae erant, dum haec verba eloqueretur, referri debere iubeant. Nam de his ipsis infantulis, me quidem iudice, Iesus, quid sentiret, edicere, atque adeo docere voluit, quare illis delectetur et lubentissimo animo bona quaevis precetur. Hoc autem ipsum quidnam demum fuisse credamus apud puerulos, infantes stricto sensu, loquelae atque gressu nondum idoneos? Num dicamus, ad sentiendi agendique rationem his puerulis propriam, eandemque ab omni peccatorum labe puram, eum respexisse optas-

seque, ut eandem omnes sequi, ut ipsius praecipue discipuli τοιοῦτοι evadere studerent? Nihil omnino isti parvuli erant, nisi omnino parvuli, bimi, trimi fortasse, qui *neque scientes neque volentes* a Iesu faustis ominibus consecrabantur. Quomodo ergo horum similes *animo* fieri iuberi poterant homines sui conscientia et suo arbitrio, uti par est, usi? Manendum igitur in eo est, τοιαῦτα ipsa ista παιδία προςενεχθέντα a Iesu dici, ita ut significaverit: hi ipsi, qui pueruli adhuc sunt, aliquando divini regni cives erunt, neque alii, quam qui tales adhuc sunt, pueri, infantes, eius vere compotes reddentur; qui in hac aetate sunt, in pueritia adhuc versantur, hi demum ad βασιλείαν τῶν οὐρανῶν idonei erunt.

Nimirum quum tertius iam ageretur annus, ex quo μετάνοιαν regni a se condendi primam legem conditionemque esse palam pronunciavisset, neque tamen vel in ipsis discipulis interiorisque admissionis amicis effecisset, ut μετάνοιαν agerent, h. e. praeiudicatas de regni terrestris splendore, de Abrahamiticae originis ad honores in eo summos occupandos necessitate, de sacerdotii sacrificiorumque dignitate et sanctitate et quae sunt huius generis alia exuerent; in posteritate tandem maximam spei partem ponendam sibi esse intellexit, et inter pueros quaerendos illos, in quibus purioris doctrinae semina a se sparsa largam messem demum essent redditura. Hos nimirum confidebat, ubi a teneris annis liberaliori suae de deo rebusque divinis institutioni fuissent adsueti, eo esse perventuros, ut, quid ipsi sibi vere

voluisset, recte intelligerent, ac ad libertatem τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν obtinendam progrederentur. Puerulorum igitur adspectu et consuetudine delectabatur, non propter id, quod illi iam essent facti et haberent, sed multo magis illius causa, quod eosdem seriori tempore futuros esse et consecuturos certissime sperabat, ita, ut non tam propter animorum puritatem morumque castitatem, quam propter annorum paucitatem et a quovis deliberato consilio et studio vacuitatem felices eos atque sibi carissimos praedicasse censendus sit.

In hac autem de laudibus, quibus puerilem aetatem Iesus ornavit, sententia eo magis perseverandum mihi esse credidi, ex quo cognovi, eandem in oratione sacra esse defensam et ad excitandos sensus vere christianos admirabili arte et vi adhibitam ab eodem Reinhardo [13]), quem in principio disputationis iusto magnificentius, ita, ut naturae et experientiae adversatus videri posset, de puerilis animi probitate dixisse contendi. Neque haec mea verborum Christi explicandorum ratio a dicendi usu in N. T. obvio

---

13) Predd. v. J. 1805, II. von der Gewohnheit aller wahren Freunde des Guten, bei ihren Bemühungen vornämlich auf die Jugend und Nachwelt zu rechnen. — Secutus eum est Dinterus, in libro egregio: die Schullehrerbibel ad Marc. 10, 14. notans, Iesum voluisse dicere: das sind ja meine künftigen Christen. Diese sinds ja eben, für die ich lebe und — sterben will. Cum his autem vix conciliari possunt, quae ad v. 15. idem monet: wer nicht mit *kindlichem Sinne* dem Christenthume sich weihet, der wird seiner Wohlthaten nicht theilhaftig. Nam ad animum, qui in his βρέφεσι προςενεχθεῖσι fuisse credi debeat, Iesus non respexit.

prorsus abhorrere videtur. Haud enim negari potest, pronomen τοιοῦτος a sacris scriptoribus ita etiam usurpatum esse, ut non de interna tantum animi ratione et sensis eo usi sint, sed de rebus etiam externis, ad vitae et corporis habitum pertinentibus. Sic v. c. 1 Cor. 7, 28. οἱ τοιοῦτοι sunt homines matrimonii vinculo obstricti; 3 Io. v. 8. doctores evangelici, inopia pressi; τὰ τοιαῦτα Act. 19, 25. sunt aurifabrorum artificia; Act. 21, 25. μηδὲν τοιοῦτον ratione ceremoniarum iudaicarum dicitur. Quid quod in eo ipso loco, quem antea examinavimus, Matth. 18, 5. τοιοῦτον vix aliter quam de corporis figura vel annorum numero videtur explicari posse. Quare non vereor, ut dicendi usum neglexisse iure accusentur, qui in phrasi apud Marcum obvia: τῶν τοιούτων ἔστι ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν Iesum δεικτικῶς locutum esse, corporisque modulum exiguum (Matth. 18, 4.) vel annorum paucitatem (Matth. 19, 13.) isto pronomine significasse statuant.

Haud igitur recte ad Christi auctoritatem provocant, qui, puerilis innocentiae et probitatis laudem summam esse, quae ab homine christiano expeti possit et debeat, pro concione sacra dicunt, eamque tam praeclaris verbis exornant, ut, quod aliis maximum visum est, *virum bonum esse, iusti et propositi tenacem*, parvi tantum facere videantur. Hoc enim qui fecerunt, non modo verbis Domini: ἐὰν μὴ γένησθε ὡς τὰ παιδία οὐ μὴ εἰςέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, contra veram ipsius mentem usi sunt, sed etiam universae Domini de puerilis ani-

mi ratione sententiae contradixisse haud temere censentur. Haec autem qualis fuerit, facillime colligitur ex Matth. 11, 16. coll. Luc. 7, 31. Conqueritur nimirum h. l. Iesus de vaga sui temporis hominum in iudicis ferendiis inconstantia et discordia, eamque comparat cum puerorum temeritate, οἳ καθημένοι ἐν ἀγοραῖς προςφωνοῦσι τοῖς ἑτέροις καὶ λέγουσιν· ηὐλήσαμεν ὑμῖν καὶ οὐκ ὠρχήσασθε, ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν καὶ οὐκ ἐκόψασθε; in quā quidem comparatione nihil est, quod ad puerilis animi laudem dictum haberi possit; non multum enim hoc dictum differt ab illo Horatiano: *mutatur in horas.* Tantum igitur abest, ut similitudinem cum puerorum sentiendi ratione in aliquo conspicuam laudibus ornet, ut vitio eam vertat. Neque hoc mirabitur, qui, quam de animi humani conditione nativa Iesus foverit sententiam adcurate perpenderit, cuius quidem vestigia satis luculenta in locis evangelii Ioannei pluribus reperiuntur. Ut taceamus, quae cap. I, 13. 14. leguntur, quia non ipsius servatoris verba sunt, nonne in colloquio cum Nicodemo diserte pronunciavit, cap. 3, 6. quicquid ab homine originem ducat, vitiositati esse obnoxium, neque Deo probari posse, quare opus esse, ut prorsus renovetur, atque adeo denuo nascatur, quicunque in divini regni societatem admitti cupiverit? Atque haec ipsa ἀναγέννησις, immutatio totius hominis, quam a futuris regni sui civibus Iesum postulasse Ioannes perhibet, haud dubie ceterorum etiam evangelistarum menti est obversata, ubi de repuerascendi necessitate eum loquentem inducunt; profecto et hi, quando de si-

militudine cum pueris quaerenda Iesum praecepisse narrant, nil aliud significare voluerunt, quam quod apud Ioannem legitur; ad carceres redeundum esse homini, alium prorsus animum sumendum, denuo nascendum. Ubique enim *μετάνοιαν* inculcasse eum dicunt; quae quidem vox apud Ioannem nunquam occurrit, et, vel etymologice spectata, in *transitu* ad aliam potius quam in *reditu* ad priorem mentem quaerenda est.

Vere autem et omnino Dominum hanc parum honorificam de puerilis animi probitate atque integritate sententiam fovisse et tulisse, ex Apostolorum etiam de eadem re decretis luculentissime patet. Etenim et hi disertis verbis monent, christianos homines haud decere, ut sint pergantque esse puerorum similes. Acriter hoc iniungit Paulus 1 Cor. 14, 20. μὴ παιδία γίνεσθε ταῖς φρεσί, in qua admonitione quisque intelligit iudicii *imbecillitatem* tanquam puerili aetati propriam notari, eandemque *imbecillitatis* notionem inesse verbo νηπιάζειν, quum statim additur: ἀλλὰ τῇ κακίᾳ νηπιάζετε, curate, ut in malefaciendo tirones esse pergatis. Unde colligitur, Paulum id tantum in pueris laudasse, quod male agendi facultate sint destituti, nec, quod vere poena dignum haberi debeat, perpetrare possint; conditionem ipsorum, non voluntatem, laudabilem esse perhibet. Huius autem admonitionis veritatem adcuratius explicat Eph. 4, 14.: ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι κλυδόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ διδασκαλίας κ. τ. λ. Eodem enim fere loco νηπίους Rom. 2, 20. censet habendos esse, quo ἄφρο-

νας. Nec magis laudantur Hebr. 5, 13., ubi, qui νηπίοις sint similes, ἄπειροι τοῦ λόγου τῆς δικαιοσύνης dicuntur. Sed sufficit, instar omnium ad nobilissimum Pauli de se ipso puero dictum 1 Cor. 13, 11. lectores ablegare, quo credant, non minus, quam Iesum Christum, Apostolos a laudanda et commendanda puerili innocentia longe abfuisse.

Neque id mirum! Communem enim Apostoli cum omnibus sui aevi Iudaeis de nativa animi humani depravatione habebant opinionem, quam quidem, utpote harum rerum arbitris dudum cognitam, pluribus hic vel exponere vel exanimare plane non attinet [14]). Hoc tantum moneo, vel a priori, uti in scholis dicunt, biblicas integritatis et innocentiae puerilis collaudationes in dubitationem vocari, atque de dictorum singulorum, ex quibus illae plerumque petitae fuerunt, sensu ambigi potuisse.

Eidem tamen de animi humani ad peccandum proclivitate coniunctaque cum ea corruptione vel in pueris conspicua sententiae omnes illos adstipulatos esse reperimus, qui, ubi occasio ferret, puerilem aetatem splendidis laudibus ornare et ad imitandum

---

14) Ex multis satis est provocasse ad *Ammonium* bibl. Theol. Th. I. S. 326 ff. et *de Wette* christl. Sittenlehre Th. I, §. 34. 35. Th. III, §. 421. Nuper admodum tamen *Baumgarten-Crusius* (Grundzüge der bibl. Theol. Jena. 1828. S. 356 ff.) multo acumine demonstravit, pravitatem humanae naturae a natalibus oriundam in libris sacris vere nullibi doceri, sed communem tantum omnibus hominibus peccati calamitatem perhiberi. Quod utrum evicerit, alii viderint; illud modo meo iure dubito, pueritiam a scriptoribus sacris (Rom. 9, 11. Sir. 51, 13. pag. 359.) ut ab omni peccati labe immunem celebrari.

proponere nulli dubitarent. Quod quum facerent, quis est, quin videat, parum illos sibi constitisse, et contra se ipsos pugnasse? In hanc autem secum pugnam videntur eo abrepti fuisse, quod non satis ad magnum illud discrimen attenderunt, quod est inter πνεῦμα παιδίας et νηπιότητος atque inter πνεῦμα υἱοθεσίας et τεκνότητος; et quod, quae de *liberis, filiis* a Iesu et Apostolis praedicantur, non satis caute iidem ad *pueros, infantes* transtulerunt et tanquam admiranda et imitanda proposuerunt. Nimirum hoc nullo modo negari potest, summam hominum christianorum laudem et felicitatem in eo positam doceri, ut υἱοὶ, τέκνα Θεοῦ sint et evadere studeant, salutisque per Iesum humano generi paratae verum finem et fructum in eo esse quaerendum, quod Deum patris, nos ipsos filiorum loco habere nobis liceat. Primarius hac in re locus est Rom. 8, 14—17., in quo cuivis patet de υἱοῖς et τέκνοις esse sermonem, non de παιδίοις et βρέφεσι, neque pueritiae ullam rationem haberi. Opponuntur δοῦλοι et υἱοί, Christianorumque felicitas in eo ipso cerni docetur, quod haud amplius servorum, ὑπὸ τὸν νόμον ὄντων, sed filiorum κληρονόμων loco a Deo habeantur; quare eos decere, abiecto omni servili timore, exuto πνεύματι δουλείας εἰς φόβον, eo in Deum esse animo, quo filium erga patrem esse oporteat, pleno dignitatis, amoris, fiduciae et spei, optima quaeque a patre exspectantis; in hoc ipso sensu inesse veram illam iuris et dignitatis excellentiam, qua Christiani Iudaeis et gentilibus praestent. Hoc autem πνεῦμα υἱοθεσίας quum

a Luthero haud dubie non inepte *kindlicher Sinn* dictum fuerit, non sine aliqua huius ipsius versionis culpa apud aliquos factum esse videtur, ut, ubi de *filiis filiorumque conditione* sermo esset, de *pueris atque infantibus* agi crederent, animumque ad horum similitudinem compositum tanquam eum laudarent, in quo ultima hominis vere christiani laus quaerenda sit. - Ab huius autem laudatione et commendatione novimus Paulum fuisse alienissimum, et contra gravissime hortatum, Eph. 4, 13. ut καταντήσωμεν εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ χριστοῦ.

Quae omnia si a me recte sunt disputata, non est, quod cautionis a me commendatae necessitatem, utilitatem naturamque pluribus demonstrem. Quotiescunque igitur de verbis Domini: γίνεσθε ὡς τὰ παιδία· τοιούτων γάρ ἐστι ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ — coram concione dicendum erit [15]), toties eiusdem

---

15) Si unquam recte inter se conciliari possunt, quae Iesus apud Matthaeum de puerilis animi integritate laudanda et imitanda secundum communem interpretationem dixisse creditus est, et quae contra de eiusdem vitiositate vel certe imbecillitate quotidiana experientia quemvis vel invitum docet; huius quidem conciliationis praestantissima exempla praeivere *Bauerus*, Collega coni. Predd. über die Evang. Leipz. 1798. Th. 2, S. 326. der Umgang mit Kindern, eine Schule der Sittlichkeit; *Henr. Aug. Schottus* — neue Samml. von Prr. u. Homil. Jena 1822. S. 146. die heilige Mahnung des Weihnachtsfestes: werdet wie die Kinder; *Dan. Amad. Neander* — Predd. über auserlesene Stellen der heil. Schr. i. J. 1825 etc. Berl. 1826. duabus orationibus (vol. 2, p. 14—45) super loco 1 Cor. 14, 30., quem et nos supra attigimus, ita tamen, ut doceremus, nec in h. l. innocentiae puerilis commendationem aliquam vere inesse. — Omnium novissime de eadem re, ipso Michaelis anni 1827. festo die dixit *Tzschirnerus*

Domini mentem etiam et consilium adcurate pensitemus, atque a cupidiori innocentiae puerilis commendatione abstinentes auditoribus inculcemus, cogitent, puerorum se similes atque loco esse, qui natalium ope nil prorsus habeant, quo laudis, gloriae, dignitatis, praestantiae quicquam ipsis competat, quibus contra modeste de se tanquam de pueris nil habentibus et valentibus iudicandum, quibus obediendum, laborandum et omni opera enitendum sit, ut aliquando ad eam animi conditionem evehantur exoptatissimam, qua υἱοῖς θεοῦ uti liceat. Hoc demum modo si puerorum aetatem et animum auditores laudare, admirari et imitari docuerimus, habebimus, quod

---

noster, quem quidem beati viri sermonem inseri curavi tertio volumini orationum illius sacrarum, nuper a me editarum. Quod ipsum dum faciebam, non sine magna voluptate memini, multa me tunc cum egregio amico de argumento a me tractato disputare; isto enim iam tempore huncce meum libellum ad finem perduxeram, propterea quod in votis erat, iisdem, quibus summis in theologia honoribus decem annis ante ornatus fueram, auspicibus, Magnifico et S. V. *Weissio*, per hiemem anni 1827. Academiae Rectore, *Tzschirnero* autem ordinis theologici Decano, professoriam quoque adire provinciam. At, proh dolor, aliter erat in fatis! Longe tamen absum ab ea vanitate, qua credam, his illum disputationibus fuisse commotum, ut de puerilis aetatis non *innocentia imitanda* sed *aemulanda* potius *conditione* exponeret, graviter simul monens, maximum inter animi castitatem, in homine sapiente conspicuam, et inter nativam illam puerorum a peccatis immunitatem interesse discrimen. — Ceterum nec ipse demonstravit, Iesum in Matthaei l. l. de puerilis aetatis *modestia* a discipulis *admiranda* et *imitanda* vere dixisse. Quid et quantum autem illud sit, quod Christianos deceat et oporteat, *filiorum Dei loco* se habere, uti saepissime pro concione sacra a celeberrimis oratoribus expositum fuit, ita admodum nuper haud improbabili modo repetiit *H. Fischer*, Predd. für denkende Christen. Altona 1827. in sermone sacro super Gal. 4, 23 sq. ad novi anni auspicia habito.

experientiae, naturae, scripturae convenienter nos dixisse credamus, iidemque summo iure contendemus, homini christiano pueritiam ad ultimam usque senectutem esse continuandam.

Sed iam indicandum est, quem in finem haec praefatus sim. Nimirum FRIDERICI AUGUSTI, τοῦ νῦν ἐν ἁγίοις, Regis Saxoniae Potentissimi, clementia summorumque Eiusdem amicorum benevolentia factum est, ut munus Professoris Theologiae Ordinarii novae fundationis iu hac literarum universitate mihi demandaretur eo potissimum consilio, ut in homileticis futurorum in ecclesia oratorum exercitationibus regundis operam collocarem. Hanc autem provinciam solenni oratione: *de futurorum in ecclesia oratorum ingeniis ad ipsum curriculi academici limen explorandis* d. XIX Novembr. hora IX auspicaturus, TE, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, VOS, ILLUSTRISSIMI COMITES, VOS, PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, VOSQUE COMMILITONES HUMANISSIMI ET DILECTISSIMI, qua decet observantia oro rogoque, ut huius diei solennitatem honorifica *Vestra* praesentia condecorare velitis.